

Bibliothèque numérique

medic@

**Duvigneau, Antoine-Rousseau -
candidat / Froment, Pierre - président.
- [De humeri luxatione]**

1753.

***Paris : Typis FR. Delaguette
Chir. Collegii Typographi
Cote : ms 2342, n°30***



D. O. M.
THESES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.



IRANDAM Corporis humani fabricam & compagem solidis atque fluidis constare nemo sanæ mentis ibit inficias. Id nunc sat apud omnes compertum habetur & in confesso est : indè , dùm quæque suas obeunt functiones , aut viget , aut exsurgit sanitas : contra verò , dùm non nihil patiuntur detrimenti , morbus enascitur. Tandem cuique morbo debellando saluberrimi sanitatis restituendæ Ministri , quantum fieri potest , certè quidem nunquàm non præsto sunt. De Humeri Luxatione , haud dubiè morbo , juxta Lacedæmoniorum morem & stylum brevi consulentes , hodiernâ die sumus dicturi. Quapropter primò partium compaginem , & structuram , denique Medico-Chirurgo-Pathologicam , Semeiôticam & Therapeuticam materiem pro viribus sumus explanaturi.



EX ANATOMIA.

BRACHIUM ex partibus solidis, atque fluidis conflatur. Solidæ, hæ duræ, ut Ossâ, Cartilagine, & Ligamenta: illæ molles, ut Nervi, Vasa, Musculi, Glandulæ, pinguedo; Capsulæ sinoviales & membranaceæ dicuntur. Quæque partes, sive solidæ, sive molles fluidis, scilicet sanguine, sinoviâ & aliis humoribus irrorantur, nutriuntur.

UNICO osse longo componitur Brachium, vocaturque Humerus, figurâ quidem irregulariter cylindricâ donatus, constans tribus partibus, scilicet corpore & duabus extremitatibus. Singulis in partibus notanda occurrunt non pauca, nempe caput, collum, tuberositates, canaliculus, depressiones, anguli, eminentiæ, condyli, & in ipso-met osse, substantia, usus, connectiones. &c.

SCAPULA, os planum, ac triangulare duplici instruitur facie, hæc convexâ, illâ concavâ. Quo in osse notantur plures eminentiæ & cavitates; anguli numero tres, oræ totidem [scilicet] scissuræ, duæ Apophyses, Acromion & Coracoïdes, cavitas Glenoidea, Cartilagine &c.

Os quidem exiguum, sed non prætereundum videtur Clavicula, cum Scapulæ & Sterno adhæreat.

SEX in Brachio recensentur Nervi ex quinque ultimis Nervis cervicalibus & primo dorsali oriundi. Longè plures animadvertuntur Musculi variis inservientes usibus, variisque ex locis originem ducentes, sicut & Nervi.

VASA prædictarum partium sunt Arteria subclavicularis multiplices efformans in progressu ramos, & diversa sortiens nomina. Venæ quatuor, Glandulæ axillares sitûs causâ nuncupatæ, Capsulæ sinoviales & membranaceæ quæ omnes Articulos circumdant.

EXPENDENDÆ supersunt Articulationes, aliæ cum motu, aliæ sine motu. Quæ cum motu sunt, solam partem nostram hæc-ce die spectant: hinc alias nostro discursui supervacaneas alto prememus silencio.

SANGUINE, limphâ, sinoviâ, spiritibus animalibus memoratæ suprâ partes irrorantur, nutriuntur.

EX CHIRURGIA.

VARIAS inter affectuum species quibus infestantur Ossa ; haud ultimas occupat sedes Luxatio quæ , pro diversis in quibus grassatur locis , diversam obtinet denominationem. Amplissima profectò dicendi seges , prolixumque dissertandi argumentum , si singulas vel obiter prosequi voluerimus. Satis superque fuerit , quod Humeri Luxationem duntaxat expendendam in medium proferamus. Præviā itaque exponemus hujus-ce morbi analysin.

NON una est Humeri Luxatio quæ ab scriptoribus plerisque definitur , unius plurium ve Ossium ex sede naturali exitus. Derivantur exindè species innumeræ : simplex quippè est , composita , complicata , completa , incompleta ; tum etiā evenit fursim , deorsum , antrorsum , extrorsum , & introrsum. Aliæ aliis levioris aut gravioris momenti.

INTERNÆ sunt & externæ Luxationis Humeri causæ. Has inter enumerantur nixus , lapsus , ictus , nec non motus violenti. Illas verò constituunt permanens Musculorum convulsio ; Paralyssis , Ligamentorum debilitas , relaxatio Ligamentorum sine Paralyssi , Paralyssis sine relaxatione Ligamentorum , sinoviæ accumulatio , Ossium tumefactio , &c.

CUM peculiaribus sibi signis innotescat & æstimetur morbus quilibet : sua sunt diversis Humeri Luxationibus signa tum diagnostica , tum prognostica. Priora in vario partium affectarum statu posita sunt : posteriora autem ex specie , causis , accidentibus , ætate , tempore , ac demum Articulatione repetenda.

MULTIPLICI accidentium turmâ complicantur Humeri Luxationes. Alia , priusquam erumpant , sagax antevertet Chirurgi solertia : alia verò jam enata , opitulantibus Artis & Scientiæ remediis debellari posse dudum edocuit sana praxis.

PRUDENTER exploratâ morbi cujusvis naturâ , ad curationem ritè procedendum Ut in cæteris affectibus , sic & in Humeri Luxationibus duplex prodit medendi methodus , palliativa videlicet & radicalis. Congruit hæc perfectam admittentibus medelam : illa autem insanabilibus planè competit. Sua sunt utrique media propositum scopum collineantia.

MEDENDÆ Luxationi non mediocriter inserviunt Extensio , Contra-extensio & Reductio , quæ quidem non in omni casu ,

5

Luxatione-ve possunt adhiberi. Prædictæ Operationes manus, laqueos & machinas ut plurimum reposcunt: summopere tamen cavendum Os Musculorum actioni permittatur, aut aliæ negligantur cautelæ Reductioni faventes.

IN apparatus Reductioni congruum veniunt splenia, fasciæ, globus, mantile, spica ascendens.

REDUCTO demum Osse, huic continendo idonea sunt situs & fasciationes.

QUAM invexere Luxationem Ligamentorum relaxatio & Musculorum Paralysis, hanc curare potest Os reductum, contentumque; modò insuper adhibeantur fomentationes spirituosæ; nec non aromaticæ, frictiones calefactis cum linteis, tenuis victus ratio, non omisis tamen venæ sectionibus pro re natâ necessariis.

SUPERVENIENTE fracturâ, si obtineri nequeat Luxationis reductio, in usum vocanda sunt resolventia spirituosâ, emollientia, liquefacientia, deffensiva sinoviæ ac aliis liquoribus fluiditatem conciliatura, nec non solidis elaterium restitutura.

UBI Os in fracturæ loco consolidatur, operæ pretium est Articulationis motui paulatim ac gradatim consulere, ut nempe præcaveatur sinoviæ inspissatio, quæ tamen, si evenierit, repetitis iterum atque iterum motibus discutietur.

De Xanthis.
Has Theses, DEO JUVANTE, & præside M. PETRO FROMENT, natû majore, Artium & Chirurgiæ Magistro, è regiâ Chirurgorum Academiâ, tueri conabitur ANTONIUS-ROUSSEAU DUVIGNEAU, Santonensis, Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabbati 4^a. Augusti, anno Salutis 1753. à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA.

Typis FR. DELAGUETTE Chir. Collegii Typographi.